



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 813. Usque Ad Annum 859

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1760

VD18 90117867

§. 14. Leo dissimulat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66103](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66103)

Sæculum IX. A.C. 814. *ros, & hanc Doctrinam non prædicatu-
ros, veritatis proditores fuerunt, cum
mallerent in Monasteriis sedentes suis com-
modis inservire, quam pro bona causa pa-
ti. Dicunt: qui sumus nos? Respondeo;
primo Christiani estis, quorum est in hoc
rerum articulo loqui & fidem suam pro-
fiteri, deinde Monachi, qui omnia reli-
querunt, ut hoc mundo superiores essent,
& denique Abbates, quorum est datum ab
aliis scandalum tollere. Si quis ad istos
Abbates veniat interrogans, quid sit de
fide credendum, num respondebunt: Jus-
sus sum non loqui, & te ad Monasterium
venientem non recipere?*

§. XIV.

Leo dissimulat.

*App. ad
Theoph.
Sup. Lib. II.
§. 5.*

Interim Imperator clam immisit milites,
qui profanarent Jesu Christi Imagi-
nem, in porta ænea expositam, illam
ipsam, quæ sub Leone Isauuro dejecta, &
jubente Irene restituta fuerat; id enim
ex Inscriptione supra posita apparebat.
Itaque milites lapides & cœnum in hanc
imaginem injiciunt, invocantes Diabo-
lum cum inferis omnibus & plures alias
blasphemias proferentes. Imperator in-
dignationem simulans ait ad populum:
*Auferamus hinc imaginem istam, ne dein-
ceps a militibus injuriam patiatur.* Hoc
factum Antonio, Joanni, aliisque Icono-
machis

machis animos addidit. Appropinquante Festo Domini Natali misit Patriarcha, qui Imperatorem rogarent, ne Ecclesiam turbatam vellet; se vero libenter abdicaturum Dignitatem, si ipse scandali causa esset. Imperator respondit: *Quis facinus moliri audeat, ut deponere attemptet Patriarcham, Patrem nostrum, aut Ecclesiam turbare? illam quæstionem ad examen vocavimus propter illos, qui eam movebant. Ceterum credo, quod Ecclesia credit.* Hæc dicens, e sinu productam Crucifixi imaginem inspectantibus cunctis adoravit. Nihilominus fucum faciebat, usque dum Festum transisset.

Sæculum IX.
A. C. 815.

In die Nativitatis Dominicæ in Ecclesiam venit, intrat Sanctuarium, ut mos erat Imperatoribus Constantinopolitanis, & adorat Altaris tabulam, in qua Nativitas Domini nostri representabatur; quod toti populo solatio fuit. Verum in Festo sequente Epiphaniæ, die sexta Jan. anno octingentesimo decimo quinto patuit Imperatoris Hypocrisis; nam ad Ecclesiam veniens imagines non adoravit, & exinde Patriarchæ apertius adversari cœpit, vetuit ad populum dicere, & Ecclesiæ & Vasorum Sacrorum custodiam Thomæ Patricio bis Consuli dedit.

Illo tempore Patriarcha in gravem morbum incidit; unde Imperator al-

vit. Niceph.
c. 10 n. 60.

Hist. Eccles. Tom. XI.

D quam-

Sæculum IX. A C. 815. quamdiu iram pressit, sperans, ipso defuncto facilius, quæ volebat, effici posse. Postquam vero ad eum relatum, Patriarcham convalescere, misit Theophanem Imperatricis fratrem & Episcopos Iconoclastas, quibus Patriarcha colloqui noluit, dicens se eos per valetudinem non posse admittere, præter causas quas jam antea attulisset; sed petebat, ut prius sibi potestas libera in gregem suum redderetur, ut Episcopi Catholici e carceribus liberarentur, exules revocarentur, illi, quorum Ordinationes contra Canones factæ essent, amoverentur, & Conventus non alibi quam in Ecclesia agerentur. His positis conditionibus colloqui promittebat, postquam per valetudinem sibi liceret.

§. XV.

Nicephorus Patriarcha pellitur.

*Sup. Lib.
XXVIII.
§. 19.*

At Iconoclastæ, qui se Synodum Cæsaream, seu *Synodos Endemoufa* repræsentare jactabant, Imperatori persuaserunt, rejiciendas esse has condiciones, quippe dicebant, postquam jam ter Patriarcham citassent, a se contumaciæ causa damnari posse. Ergo monitionem ad eum dirigunt, in qua imperabant, ut coram ipsis compareret, mittuntque Episcopos & Clericos cum grege otiosorum hominum, qui hanc redderent. Patriarcham